









IN NOMINE JESU !  
METHODICA  
PRÆCIPUO-  
RUM ARTICULORUM  
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM  
ARTICULORUM SCHMALCAL-  
DICORUM SYMBOLICUM,  
REPETITIO,  
*Cujus*  
DISPUTATIONEM VIII,  
*De*  
MYSTERIO TRINITA-  
TIS IN GENERE, ET DE  
DEO PATRE,  
PRÆSES

JOHANNES Deutschnann/

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,

*ET RESPONDENS*

M. JACOBUS Wächeler/

Grimma Misnicus,

*proponent*

D. Junii Horis consvetis.

---

WITTENBERGÆ,

Typis Johannis Haken, ANNO M DC LXIII.



PROLOGUS  
AD  
ARTICULOS  
PRIMI  
ORDINIS  
CAPITULI  
PRIMI  
ARTICULI  
PRIMI

ARTICULUS  
PRIMUS  
DE  
ORDINE  
CONGRUENTIA  
ET  
CORRECTIONE

PRIMI  
ARTICULI  
PRIMI



## IN NOMINE JESU!

**H**æcenus *Mysterium Unius Deitatis ex articulo primo* consideravimus, nunc in eodem ad *Mysterium Trinitatis* perimus, & articulo primo secundum adjungimus, in quo *mysterium* hoc, quoad *singulas personas*, exponitur. Agitur proinde de *Mysterio Trinitatis* (1) *Conjunctim* in art. 1. (2) *Distinctim* in art. 2.

2. Quod *conjunctam* attinet *considerationem* tria potissimum ex Art. 1. notabimus (1) *Unius Dei Trinitatem*, siquidem *Unus Deus* dicitur *P. F. & Sp. S.* Ex his verbis observamus (1) *Veram Unius Dei pluralitatem*, quia juxta scripturas certissimum est, *veram in Deo pluralitatem* inveniri, quod docent (1) *Ipsa Dei nomina* *Elohim, Adonai, Pater, Filius &c.* [2] *Emphatica Dei eloquia*, quia *Deus* non tantum *de seipso* loquitur in plurali *Gen. I. 26. III. 22. XI. 7. Esa. VI. 8. &c.* sed etiam *Deus de Deo, Dominus de Domino, Jehova de Jehova* verba facit, quod apparet ex *Gen. XIX. 4. Exod. XXXIV. 5. 6. Ps. XLV. 8. XXXIX. 27. CX. 1. Esa. LX. 19. Jer. XXIII. 5. 6. XXXIII. 15. Zach. II. 8. 9. Hos. I. 7. &c.* (3) *Interna Dei opera*, quia *Deo* modo *gignere* *Psal. II. 7.* modo *genitus*, vel *filiatus* *Psal. LXXII. 17.* modo *procedere* dicitur *Job. XV. 26.* (4) *Ecclesie symbola*. Nam cum aliis *Symbolis, Apostolice, Niceno, Athanasiano &c. Schmalcaldici* pariter *articuli* disertam *Patris, Filii & Spiritus S.* mentionem faciunt, quæ verba satis aperte *Pluralitatem aliquam in divinitate* demonstrant.

3. (2) *Trinam unius Dei pluralitatem*. Nam *pluralitas*, quæ *Deo* tribuitur (1) nō est, quoad *numerum*, *infinita*, quæ sit in *infinitum* extendenda, nulloq; numero definienda: licet n. *Deus* aliàs verè dicatur *infinitus*, tamen *infinitas* illa non est *pluralitatis*, sed *absolutissima & perfectissima quidditatis*, non *Trinitatis*, sed *unitatis*, cum *infinitum summè tantum unum* sit, adeoque non ad *personas immediatè*, sed ad *essentiam* pertinet, unde multò minus ad *personarum Pluralitatem* refertur poterit. (2) non est *indefinita*, vel *incerta*, quæ neque sit in *S. L. definita, prescripta*, nec in *fide Christiana certa*: cum n. *dogma primarium* sit *fidei Mysteriū divinitatis*, ejusque *personalis pluralitatis*, indubitatam certitudinem requirit. (3) nec est *vaga*, pro *cujusq; populi, vel seculi, vel in-*



genū, aut arbitriū libera, quasi cuilibet pro arbitrio Deum eligere, personas Divinitatis vel augere, vel minuere liceat: hæc olim inter gentiles damnabilis licentia regnavit, qui pro libitu Deos elegerunt & rejecerunt, multiplicarunt & imminuerunt. Talis v. licentia non tantum *Sacris literis*, sed etiam *reſta rationi*, & *universa philosophia* prorsus adversa dicitur. Est igitur hæc pluralitas in mysterio Deitatis (1) ad certum pluralitatis statum restricta (2) in *S.L.* clarissime, & quidem sapissime definita (3) in Ecclesia Christi certò cognita, semperq; credita. (4) certa scientia, firmaq; fiducia paganis, Judæis & hereticis hætenus opposita. (5) ternario numero clarissimis testimoniis scripturarum descripta, nobisq; prescripta, sicut Verbum Dei formaliter & *gr̄tōs* trium mentionem facit *I. Job. V. 7.* materialiter & *Agvontimōs* sapius etiā illos tres introducit. Et h. l. *Primus articulus Schmalcaldicus Patrem, Filium & Sp. Sanctum* nobis vera fide suscipiendum affert, & tres distinctas Deitatis personas cognoscendas offert.

4. (3) Personalem Unius Dei pluralitatem. Nam hæc in Deo pluralitas (1) non est tantum nominalis, quasi Pater Filius & S. nuda nomina sint, nullum in ipsa re fundamentum habentia, sicut olim Sabelliani fabulati sunt. (2) nec rationalis, q̄s. pluralitas Deo tantum per rationis aliquem conceptum tribuatur, realiter, vel reipsa verò neutiquam in Deo reperiatur, sicut superiori seculo Servetus, & alii veterem errorem Noëtianorum ab orco revocarunt. (3) neque tantum accidentalis. Non n. in Deum propter eminentissimam puritatem & purissimam simplicitatem, ac simplicissimam Entitatem, ullum prorsus accidens cadit, ergo nec accidentalem in Deo pluralitatem fingere licet. (4) Nec est essentialis, q̄s. plures essentialiter diversi Dii, vel spiritus credendi sint; nam hunc errorem Trithearum semper Ecclesia vera damnavit. (5) Nec affectionalis, vel attributiva, siquidem plura, quã tria, scriptura Deo tribuit perfectionum genera, quæ solemus attributa vocare: præterea sunt attributa proprietates essentia, quæ nullã vel in se, vel in attributionib; essentialibus multiplicationem realem admittit. (6) Non est causalis, quasi tria tantum opera Dei dẽsur. Licet n. juxta Symbolum Apostolicum peculiari quodam respe-



respectu de Deo glorioso *tria* cum primis *opera cardinalia* con-  
 fiteamur, videl. *Opus creationis, redemptionis & sanctificationis*,  
 tamen hæc *opera*, prout *operum rationē* induunt, non sunt *in*  
*Deo*, sed *à Deo*, non *ad intra*, sed *ad extra* respiciunt: & scriptu-  
 ra plura, quam hæc *tria*, Deo propria facit *opera*: hæc etiam *o-*  
*pera plura*, magis specialia, sub ambitu suo comprehendunt. (7)  
 Nec est *pluralitas modalis*, quasi tantum *una* sit *persona*, quæ  
 modo *dispensationis* alio atque alio, mox ut *Pater*, mox ut *Filius*,  
 mox ut *Spiritus S.* se manifestarit, qui veterum *Praxeanorum* er-  
 ror fuit, contra quos *Tertullianus* disputavit. His affinis est error  
 eorum, qui *personis ultimè nudos modos* appellant, & *ultima-*  
*tam personarum distinctionem* in *modali differentia* tantum inve-  
 stigant. (8) Nec est *pluralitas relativa & respectiva*, quia *plures* in  
 Deo dantur *relationes*, nec in *relatione formaliter distinctio per-*  
*sonarum* consistit. (9) Nec est *pluralitas voluntatis*, quia *voluntas*  
 in se, *ratione Dei* considerata, verè *simplex & unica* dicitur, & eū  
 ipsa *essentia* revera cōvertitur. *Una* proinde, nō *tres* in Deo sunt  
*voluntates*. (10) Sed est *pluralitas personalis*, quia dicitur h. l.  
*pluralitas Patris, Filii & Spiritus S.* quos scriptura nobis, tan-  
 quam *veras personas*, revelavit. Ex quibus omnibus patescit,  
*Trinitatem Unius Dei personalem*, juxta *Scripturam, Ecclesiam Ca-*  
*tholicam & fidem Christianam*, vel ejus *analogiam*, credendam  
 esse.

5. (II) *Dei Trininitus veram essentialem unitatem*, quia confite-  
 mur, juxta *Schmalcaldicos articulos, Patrem, Filium & Spiritum*  
*S.* esse nihil aliud, quam *unum Deum, & in una essentia, vel natu-*  
*ra, realiter* existere. Patet hoc (1) *ex diserta S. L. testificatione*. Nam  
 de *duabus personis* prioribus, ipse *Christus* inquit *Job. X. 30. Ego &*  
*Pater UNUM SUMUS*: de omnibus verò *tribus personis* inquit *Jo-*  
*bannes Ep. I. c. V. 7. Hi tres UNUM SUNT*. (2) *ex eorundem Nomi-*  
*num, Attributorum, Operum, Axiomatum, Cultuum &c.* ad hos  
*tres equali relatione, & eminentissima appropriatione*, sicut proli-  
 xè demonstrari posset. *Talis a. appropriatio horum trium essen-*  
*tialem identitatem* evidentissimè confirmat. (3) *Ex Symbolorum*  
*consensione*. Nam juxta *Symb. Apostol. credimus in unum Deum,*



qui postea *Pater, Filius & Spiritus S.* dicitur. Idem etiam in *Symbolo Niceno* repetitur. Juxta *Symbolum Athanasianum* elegantissima hæc *Unitatis & Trinitatis* in Deo reciprocatio pulcherrimis, notatuq; dignissimis verbis describitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.* Et hæc etiam *fides* est *Articulorum Schmalcaldicorū.*

6. Est a. hæc *Unitas*, juxta præsentem articulum (1) *radicalis*, quia *in una essentia & natura* dicuntur esse tres personæ. Nō a. hæc *unitas radicalis communiter*, sed *eminenter*, non *φωριστῶς* sed *μυστικῶς & ὑπερφωριστῶς* intelligēda, cū *essentia divina* nihil aliud sit, quam tres personæ, & tres personæ nihil aliud sint, quam *essentia divina.* (2) *Transcendentalis*, quia verè *divina* pronunciatur, quæ *transcendit omnem hominum sensum, omnem hominum & angelorum captum & conceptum, omnemq; tam angelicum, quam humanum intellectum.* Admirari licet, & simplici fide venerari hanc unitatem, non ulla ratione scrupulosè rimari. (3) *Substantialis, vel essentialis*, quia tres dicuntur *in una vel essentia, vel natura esse*, adeoque vera *divinis Personis ὁμοῦσι* tribuitur, quod sint *unius essentia* non per *unitatem genericam*, quia *Deus genus* non est: neque per *unitatem specificam*, quia *Deus supra se genus* non habet; sed per *unitatem Numericam*, eamq; non *quantitativam*, sed *quidditativam*, non *prædicamentalem*, sed *transcendentalem, non accidentalem, sed substantialem*, hinc aliàs personæ non tantum *unius*, sed etiam *ejusdem essentia* dicuntur, & *ὁμοῦσι* verè creduntur. Ex quo colligitur, quod personæ *Divinitatis* non sint (1) *ἐτεροῦσι*, seu *diversæ essentia*, quod *Ariani* voluerunt; (2) nec *συνῦσι*, sicut *homines & alia, quæ species* sunt *unius, individua* dicuntur *unam communem essentiam* habere. Hinc *Epiphanius* in *Epitome Fidei* dicit: *Filius non ὡς ὁ Πάτερ, sed ὁμοῦσι.* Nec (3) *ὁμοῖσι*, aut *similis tm. essentia*, sicut *Arianorum* nonnulli docuerunt (4) Nec *ἀνόμοιοι*, quod *Ariani* cum *Eunomianis* contenderunt, quasi *filius quidem equalis Patri* sit in *substantia*, sed ei *similis* non sit, quoad *potentiam & operationem.* Contra v. juxta *Confessionem August.* credimus, docemus & confitemur, quod personæ *Deitatis* sint *ὁμοῦσι* vel *eiusdem*



judem essentia (2) ὁμοδύναμοι vel ejusdem potentia (3) ὁμοαἰώνιοι  
vel coaeterna.

7. (III) Dei Trinitus diversitatem, vel distinctionem, quia  
juxta presentem articulum tres distinctas personas confitemur.  
Distinctae sunt personae (1) non essentialiter, quia haec fuit Tri-  
theitarum haeresis, neque talis essentialis distinctio cum ὁμοοσίᾳ  
personarum consistere poterit (2) non accidentaliter, quia personae  
non sunt accidentia (3) non intellectualiter, vel rationaliter, quia  
personarum ratio nec in intellectu, nec in intellectus conceptu, sed  
in realissimo divinarum Personarum statu fundatur. (4) non mo-  
daliter, quae nonnullorum Reformatorum opinio: sed personae  
modi non sunt, nec ut modi tantum ab essentia distinguuntur. (5)  
non virtualiter, quia differentia personarum non extrinsecum ad  
operationes, sed intrinsecum ad subsistentiae rationes, respectum in-  
volvit. (6) non tantum nominaliter, ut contra Sabellianos antea  
notatum. (7) non numeraliter, quae tres personae tres sint unitates,  
à se mutuò distinctae, & ad numerum propriè dictum constituen-  
dum proportionatae. Sicut n. Trinitas non est ternarius nume-  
rus, ut vulgo sumitur, sic etiam eadem tribus vulgaribus unitatis  
bus non absolvitur, nec per hasce predicamentales unitates di-  
stinguitur, sed potius tribus hypostasibus, ad unum relatis, consta-  
re creditur. Confer. *ib.* 3. (8) Sed distinguuntur personae verè, rea-  
liter, & ut, propter peculiare subsistentiae rationes, loquuntur,  
personaliter. Ut n. personae distinctae sunt in Deo, juxta presentem  
articulum, sic etiam ut personae, h. e. personaliter, distinguuntur.

8. Haecenus ex Artic. I. breviter Conjunctionem & communem  
Mysterii Trinitatis considerationem vidimus, nunc ad Distinctam  
uniuscujuslibet personae contemplationem progredimur, quam Ar-  
ticulus II. verbis quidem brevissimis, sensu tamen plenissimis  
proponit. Pater à nullo, Filius à Patre genitus est, Spiritus S. à  
Patre & Filio procedit. Ex his verbis instituemus (1) Theoriam Pa-  
tris (2) Theoriam Filii (3) Theoriam Spiritus S.

9. Theoria Patris contemplatur (1) Onomatologian. Sic vox  
Patris h. l. sumitur (1) non essentialiter, quatenus essentiam divinam  
notat, cum independentia respectu, quia primum Ens est, nec est

ab a-



ab alio. Sic omnibus tribus personis communis est hæc appella-  
tio (2) neque casualiter, quatenus vox Patris cause prima com-  
petit, & principium productionis primum importat, cum actuali  
relatione ad suum effectum, quæ significatio rursus omnibus tri-  
bus personis est communis. (3) Sed personaliter, quatenus soli pri-  
mæ personæ Deitatis attribuitur, & à reliquis personis ad intra  
per hanc appellationem distinguitur: prima significatio est absolu-  
ta; secunda relativa, cum respectu ad extra, vel ad creaturas; ter-  
tia relativa, cum respectu ad intra, vel ad reliquas Deitatis perso-  
nas. Sic aliàs dicitur, quod vox Patris sumatur (1) κοινῶς & ἰδι-  
ωῶς. (2) ἑσικῶς & ὑποστατικῶς. (3) ἀπαλῶς & ἁρτιτικῶς (4) ad ex-  
tra, vel ad intra. (5) ratione creaturarum, & ratione divinarum per-  
sonarum (6) juxta Theologiam vel naturalem vel revelatam &c.

10. (2) Pragmatologiam. Juxta Schmalcaldicos Articulos Pater  
est persona prima Deitatis, verè distincta à Filio & Spiritu S. quæ  
à nullo est, sed ab æterno Filium genuit, & ab eadem, ut & à Filio,  
Spiritus S. procedit. In qua descriptione tum conceptus Conveni-  
entia, tum conceptus differentia notantur. Quoad illos, Pater  
dicitur (1) Vera persona (2) Divina persona (3) Distincta persona  
qui conceptus omnes & Filio & Spiritui S. conveniunt, ac proinde  
jure suo conceptus convenientia nuncupantur. Horum v. respec-  
tu dicitur (1) quod Pater sit prima persona [2] ingenita persona,  
vel à nullo (3) Persona generans Filium, & cum Filio Spiritum S.  
æterno spiracionis actu producens.

11. Quod Pater sit vera Persona, probatur (1) ex veritate pro-  
pria significationis, quia propria significatio vocis persona, juxta  
Conf. August. art. 1. hæc est, quod nomine persone utantur hac in  
causa scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem, aut qualita-  
tem in alio, sed quod proprie subsistit; hoc verè de Patre dicitur,  
utpote qui non est pars, aut qualitas in alio, sed per se propriissimè  
loquendo subsistit. (2) ex veritate definitionis; nam persona defini-  
tur, quod sit subsistens, vivum, individuum, intelligens, incommu-  
nicabile, non sustentatum ab alio. At Pater est subsistens, vivum  
&c. Ergo est persona (3) ex veritate requisitorum. Juxta B. Dn.  
D. Jacob. Martini Colleg. 1. August. Confess. disp. 1. t. b. 52. ad personam

tria



tria necessariò requiruntur [a] ut per se subsistat, nec sit in alio, tanquam subjecto, [b] Ut sit intelligentis natura, [c] ut ab alia quavis distingvatur, neq; de alia persona in casu recto predicetur. Hæc tria sicubi reperiuntur, ibi perfecta persona deprehenditur. Jam hæc omnia requisita de Patre certissima sunt, & in S. L. eidem attribuuntur. (4) ex veritate proprietatum. Proprietates personales in descriptione recitantur (a) esse vivum (b) intelligentem (c) incommunicabilem (d) ab alio non sustentari. Sic Pater est κατ' ἐξοχήν vivens, & eminenter intelligens, nec ulli personæ cōmunicatur, nec ab alia persona sustentatur. (5) ex veritate operationum. Nam, juxta Vulgatum Canonem, Actiones dicuntur esse personarum: Deo Patri v. passim in S. L. operationes adscribuntur: Deus Pater igitur est vera persona.

12. Quod Pater Divina Persona sit, illud pari facilitate confirmatur (1) Ex Essentiale Dei nomine, quia Jehova, quod essentiale Dei nomen est, Pater juxta Scripturam appellatur. [2] ex aliorum nominum divinorum attributione, quia vocatur Elobim proprio significatu, & κατ' ἐξοχήν, Adonai, El, Eloab, Deus, κύριος κατ' ἐξοχήν &c. quæ nomina Deo propria sunt, neq; creaturis cōpetunt, adeoque divinitatem Patris, cum eidem attribuuntur, infallibiliter ostendunt. [3] ex attributorum divinorum appropriatione, quia proprietates verè divina Patri conveniunt. Cui v. propria Deitatis conveniunt, eidem quoq; Deitatis essentia cōvenit [4] ex divina Filij Dei generatione, i. eterna essentia divina per generationē communicatione Psal. II. 7. Si Pater generat Filium Deum, Deus ut sit, necessum est. (5) ex eterna Spiritus S. cum Filio spiratione. Nam quia Spiritus S. verus Deus est, quod postea confirmabitur, Patris quoque vera Deitas hinc probatur.

13. Dicitur a. Pater Persona divina (1) non μοναδικῶς, & in sensu solitario, qd. Pater solus sit persona divina, prout Sociniani fingunt. (2) non ἐξοχικῶς, vel in sensu eminenti, qd. respectu ad reliquas personas habitò, Pater κατ' ἐξοχήν sit divina persona, qui Calvinianorum error est. (3) non αἰτιατικῶς i. sensu causali, qd. Pater sit causa reliquarum divinarum personarum. Origo Pater est, & fons, non causa reliquarum. Sed potius Pater est persona divina (1) κοινῶς communiter, ita ut hoc etiam Filio & Spiritui S.

B

com-



competat. (2) *ἴσως & aequaliter*, quia vera datur ὁμοῦσι Personarum divinitatis, nulla prorsus ἕξοχῆ reperitur. Filius & Spiritus S. sunt unus cum Patre Deus, & aequaliter cum Patre divina Persona vocantur. (3) *ἡνωσῆς*, quia Patris persona fons est totius divinitatis.

14. Quod Pater verè distincta persona sit, hoc intelligitur (1) *ratione Patris*, quia ratione sui, vel in se, Pater infert Personam non igitur in aliis, vel cum aliis est persona, sed in se persona distincta dicitur. [2] *ratione Filii*, quia hac ratione Pater à Filio distinguitur, & ut distincta persona concipitur, atque cognoscitur, Pater est gignens persona, sed Filius est persona genita. (3) *ratione Spiritus S.* quia Pater itidem à Spiritu S. qui Spiritus ejus appellatur Matt. X. 20. tanquam distincta persona, discernitur. Nam juxta Symb. Athanas. Catholica fides hac est, ut Trinitatem in unitate veneremur, neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S.

15. Quod a. Pater sit distincta persona, confirmatur (1) *ex Patris appellatione*. Sicut n. vox Patris sensu famoso persona communiter est, & quidem distincta, sic etiam in divinitate hoc non est negandum. (2) *ex Patris propria conditione*, quia dum Pater generare Filium, & spirare Spiritum S. tanquam distinctas personas, catholicè creditur, eo ipso distincta Patris personalitas asseritur, quia Pater nec est Filius, nec est Spiritus S. (3) *ex ipsa scripturae testificatione* Matt. XXII. 19. I. Job. V. 7. (4) *Ex Filii & Spiritus S. ad Patrem relatione*, quia Filius, ut Verbum Patris, & Spiritus S. ut Spiritus oris ejus, describitur Psal. XXXIII. 6. Pater igitur est persona, verè à Filio & Spiritu S. distincta. (5) *Ex distincta manifestatione* Mat. III. 16. XV. 5. (6) *ex manifesta distinctione*, quia Pater, ut alius, à Filio, tanquam alio, & Spiritu S. tanquam alio, manifestis verbis distinguitur Job. XIV. 16. XV. 26. XVI. 7. 13. 14. 15.

16. Porro nunc ad conceptum differentiae digredimur (1) *Quod Pater sit prima persona*, non equidem [1] *ratione temporis*, quia tres personae verè sunt coeternae: in aeternitate v. quae simplicissimum infinitae durationis punctum est, neque temporis prioritas,

neq;



neque posterioritas invenitur. [2] neque ratione quidditatis, vel natura, quia tres personae sunt ὁμοῦσιν, unius & ejusdem essentia: ac in ὁμοῦσιν nulla prioritas naturae locum habere potest. (3) neque ratione dignitatis l. Majestatis, quia trium personarum una coaeternaq; majestas fide Christiana creditur; una proinde persona nequaquam ab alia ratione dignitatis, aut majestatis distinguitur, nec una ratione dignitatis altera prior, vel potior esse dicitur. (4) ratione causalitatis, quia nulla prorsus causalitas in Trinitate, quoad respectum ad intra, reperitur, siquidem essentia simplicitas absolutissima, nullam causarum, vel effectuum differentiam admittere potest. Nec n. Pater est causa Filii. l. Sp. S. neq; Filius, vel Sp. S. effectus, vel causata Patris recte dicuntur, cum ejusdem prorsus cum Patre substantia, juxta fidem catholicam, indubitato credantur.

17. Sed Pater est persona Prima (1) ratione originis, quia Pater non est à Filio, nec à Spiritu S. sed à Patre Filius est, per aeternam generationem, & Spiritus S. per aeternam processionem (2) ratione ordinis, quia sicut Filius ordine secunda, Spiritus S. ordine tertia persona dicitur, ita Pater prima Persona divinitatis appellatur, quia divinitatis ordo, juxta Scripturas, in personarum origine fundatur. (3) ratione personalis distinctionis, quia hac ratione Pater à reliquis personis revera distinguitur, quod Pater sit prima persona, cum neque de Filio, neq; de Spiritu S. hoc dici vel possit, vel debeat, quod alter eorum sit prima persona. (4) ratione Canonica l. aurbentica dispositionis, vel ordinationis. Nam quando scriptura Canonica tres personas divinitatis in solemnioribus manifestationibus & beneficiis introducit, ita ratione ordinis eas disponit, ut Patrem primo loco numeret Matt. XXIX. 19. I. Job. V. 7. (5) ratione Symbolica Confessionis, quia in Symbolo Apostolico, Niceno & Athanas. ut & aliis, juxta fidem Catholicam Patri primo, Filio secundo, Spiritui S. tertio loco Confessionis cultus tribuitur. Unde dicitur etiam in Schmalcaldicis art. Pater, Filius & Spiritus S. &c. sunt unus Deus. Confer. Art. 2. [6] ratione economica l. externa per opera manifestationis, quia Pater in primo Creationis opere, filius in redemptione, Spiritus S. in opere sanctificationis, oeconomia peculiari sese revelasse creditur.



18. Quod Pater sit ingenita persona, vel ut articuli Schmalcal-  
dici loquuntur, à nullo, proprietas altera Patris, quia hac ratio-  
ne distinguitur (1) à Filio, siquidem Filius non est à nullo, sed po-  
tius à Patre, per eternam generationem Psal. II. 7. [2] à Spiritu S.  
quia hic pariter non est à nullo, sed à Patre simul & à filio, per a-  
ternam spirationem, procedit. [3] ab omnibus creaturis, quia omnes  
creature sunt à Deo per creationem.

19. Quod verò Pater sit à nullo, illud tum respectu essentia,  
quia non est ab alio Ente, tum respectu personæ, quia suam origi-  
nem ab alia persona non accepit, intelligitur: & confirmatur [1]  
ex Patris appellatione, quia Patris appellatio formaliter non re-  
spicit, sed dicit principium, nec ad aliud ante se, tanquam ad prin-  
cipium originationis, refertur, aut referri debet, sed potius ut  
principiū alteri, aliud quid post se respicit. (2) ex Patris descripti-  
one, quia Pater describitur, ut generans Filiū Ps. II. 7. & ut spirans  
Job. XV. 26. à quo Spiritus S. procedit, quæ satis apertè declarant,  
quod Pater ab alio non sit. (3) ex silentii Canonici consideratione,  
quia nullum de Patris origine legitur in S. L. verbum, sed altissi-  
mum in iisdem de hac origine silentium. At Mystera fidei nos-  
bis in S. L. plenè proposita sunt. [4] ex originis negatione. Nam  
quod in S. L. nullibi, κατὰ τὸ ἔντονον ἰ. χτ. τῆι Πάτριαν in sum-  
mis fidei mysteriis revelatur, illud eo ipso negatur. Hinc nullus  
alius in S. L. Patri præmittitur, à quo suam originem habere vi-  
deatur. In Symb. Ecclesiasticis disertis verbis confitemur: Pater à  
nullo est factus, nec creatus, nec genitus, Symbol. Athanas. Conf.  
Schmalc. Art. p. 1. art. 2. (5) Ex Filii & Spiritus S. missione. Ut n. mo-  
net Thomas p. 1. q. 43. art. 4. Missio in sui ratione importat proces-  
sionem ab alio, & in divinis secundum originem Mitti dicit  
processionem temporalem, connotando æternam. Duæ ergo  
solum personæ in tempore mittuntur, quia duæ tantum ab æ-  
terno producuntur. Pater v. non mittitur in tempore ab alio:  
Ergo nec ab alio, sed à nullo esse dicitur.

20. Dum a. Pater à nullo dicitur, eo ipso Patri proprie-  
tas ἀγεννησίας tribuitur sed de genuino vocis hujus sensu, de pleno  
ejus intellectu, de Ecclesiastico ipsius usu, ut & de generante, vel spi-  
rante Patre, nihil amplius, ob pagellarum angustiam, nunc adde-  
re possumus.



VO 17



